DE

AËRIS VITALIS PVRIQVE
IN
FEBRIBVS PVTRIDIS VSV ET ABVSV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
CONSENSV
PRAESIDE

BERNHARDO CHRISTIANO OTTO,
PHIL. ET MED. DOCT. MEDIC. PROF. PVBL. ORDIN. SOCIETAT. PATRIOT. OECONOM. SILESIAC. ET MARCH. BRANDENBVRGENS. PHYSIOGRAPH. LVNDENS. ET NATVR. SCRVTAT. BEROLINENS. ATQVE HALENS. SODALE, ORDINIS MEDICI H. A. DECANO,

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRVRGIAE HONORES
LEGITIME CAPESSVRVS
A. D. XXV. FEBRVARII cIↄIↄCCXCVI.
PVBLICE DISSERET

CHRISTIAN GOTTLIEB RASCHKE,
GOLDBERGA - SILESIVS.

TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

VIRO ILLVSTRI

GENEROSISSIMO CONSVLTISSIMO

CHRIST. HENRICO THEOPHILO

DE VITZTHVM

AVGVSTISSIMI BORVSSORVM REGI

QVI EST

A IVSTITIAE CONSILIIS

DOMINO HEREDITARIO IN ARMRVH

OBERHARPERSDORF ET BOBERHOHENDORF

CET. CET.

FAVTORI MAXIMOPERE SIBI COLENDO

SPECIMEN

HOC ACADEMICVM

TANQVAM

PERPETVAE SVMMAEQVE REVERENTIAE

DOCVMENTVM

DEVINCTISSIMO ANIMO

CONSECRAT

CHRISTIAN GOTTLIEB RASCHKE.

PROOEMIVM.

Tanta eſt profecto puri aëris ad vitam atque ſanitatem conſeruandam ratio, vt in omni fere aegritudinum ſpecie eius vſum commendarint nec in vniuerſo medicamentorum ſuppellectile praeſtantius quidquam norint medicorum principes. Cum autem aëre, qui nos ambit puriorem, eamque aëris atmoſphaerici particulam, qui reſpirationi vere inſer-

vit

vit ex variis corporibus educere ars chemica docuisset, dephlogisticatum, vitalem nominarunt, illius maximas virtutes in plurimis corporis humani affectibus debellandis summopere praedicarunt, neque non superiorem eius praestantiam exemplis euincere haud frustra conati sunt. Forsan igitur mireris, id quod haud ita pridem legimus, praeclarum atque consummatum *) in scientia naturali virum in quibusdam morbis vbi huc vsque aëre puro nil efficacius nil magis

---

*) Vid. LICHTENBERGII praefat. ad Edit. IV. ERXLEBEN inst. phys.

magis ſalutare videbatur, aëris puriſſimi vſum damnare eumque noxium atque lethiferum pronunciare, praeterea etiam acceſſiſſe medicorum ſcripta *) quae non modo viri illuſtris ſententiam confirmare quinimo omnem aëris puri vſum limitibus anguſtis circumſcribere videntur.

Tanta autem celeberrimi autoris argumentorum vis eſt, vt facillime perſpicias, quantum exinde periculum redundet, ſi quidem incautus generoſo remedio

*) Vid. libr. cit.

remedio vteris. Sed quod periculum affert, ſi abuteris, caueas ne ſalutare eius atque diuinum auxilium negligas dummodo recte vteris, ac ne fallaci experientia adductus in Scyllam incidas dum vis vitare Charybdin.

Dubitantibus viam monſtrant et aëris natura, quantumcunque de ea nouimus, atque morborum ratio.

De vtraque praefari, deinde de aëris dephlogiſticati purique vſu et abuſu breui ſermone differrere in praeſenti noſtra ſcribendi oppurtunitate operae pretium eſſe duximus.

---

§. I.

§. I.

Aëris vitalis et atmoſphaerici natura.

Aëri qui nos ambit principium ineſſe quod vitam alit atque ſuſtentat non inique veteres putarunt, idemque vitae pabulum iuſto titulo dixerunt.

Recentiorum demum naturae ſtudioſorum induſtria innotuit, id ipſum, quod reſpirationi aptum eſt, et ſine quo ſpiritum ducere non licet, aëris eſſe particulam ſcilicet aërem dephlogiſticatum, igneum, virgineum quem etiam vitalem dixerunt. Qui autem in atmoſphaera cum variorum cor-

corporum ſolutis partibus atque effluuiis mixtus et inquinatus ſit, puriſſimum appellare non licet. Attamen purus audit atmoſphaericus aër, ſiquidem tantum modo illi ineſt principii dicti vitalis, vt ab admixtis corporum effluuiis prorſus non conſumetur, adeo vt quartam fere aëris atmoſphaerici partem conſtituat, ſicuti chemicorum ratio docuit. Eundem autem ex variis corporibus educere puriſſimum nulliſque alienis partibus immixtum et obſeruatis et periculis PRISTLEYI, SCHEELII et INGENHOVZII celeberrimorum virorum innotuit.

Scilicet acida, metallorum calces, magneſium, iuſto modo chemicae analyſi ſubiecta aërem illum puriſſimum praebent, cuius beneficio omnis reſpiratio peragitur. Pondere ſuperat aërem atmoſphaericum, cum eo facile miſcetur et ab aqua reſorbetur,

tinctu-

tincturam laccae muſicae non tingit, calcis aquam non turbat nec calcis viuae cauſticum temperat, neque vaporibus manifeſtatur. Splendida luce fulgent in aëre vitali incenſa corpora celerique conſumuntur viuidaque flamma.

Qua methodo vtantur chemici, vt eum eliciant, hoc loco fuſius exponere non intereſt, quum nulli qui de rebus chemicis ſcripſerunt recentiores hanc encheireſin exponere ſuperſederunt. Id vero monere intereſt, non idem eſſe ex quonam corpore metallico aër vitalis eductus ſit, quum periculis *) chemicorum conſtat, eum qui ex hy-

*) Conf. CHAPTAL *Anfangsgründe der Chemie, aus dem franz. überſezt von* WOLFF. Königsb. I. T. p. 234.

hydrargyri calce depromptus est, metalli particulam solutam continere. Saltem referre iuuat, quod Clariss. CHAPTAL monet, duos aegrotantes, qui ob pectoris grauamina aere dephlogisticato vtebantur, copioso saliuae affluxu repente affectos esse, tum vasa vitrea isto aëre repleta quae cum intensiori frigori exposuisset, subtilissima hydrargyri calce interna superficie obducta fuisse, denique etiam in fluido quod aërem vitalem transire curauerat, materiam flauam se praecipitasse.

Artem vero superat natura duplici beneficio, quo fruimur, dum solis radiis lustratae plantae vitalem aërem exspirant, id quod vno eodemque fere tempore obseruarunt atque cum artis peritis comunicarunt PRINGLE, INGENHOVZ et SENEBIER longe celeberrimi viri. Mephiticum enim

atque

atque ad omne respirationis negotium ineptum variaque corporum analysi correptum aërem plantae spirant, immutant, eumque a quo nutriuntur corrigunt, dum purum et vitalem generose largiuntur *).

§. II

Aëris puri atque vitalis vis in corpus humanum.

Aërem dephlogisticatum eam esse aëris atmosphaerici particulam cuius beneficio hunc inspirare licet, et sine qua nulla respiratio fieri possit modo diximus. Accedit quod facillime spiritum ducamus, cum maxima aëris vitalis pars aërem atmosphaericum ingreditur, id quod pericula cum animalibus

*) Vid. INGENHOVZ *vermisch. chem. Schriften.* Wien 1784.

malibus inſtituta luculenter docuerunt. Tum qui puriſſimo aëreo hoc fonte vtuntur calorem corporis creſcere eumque ex pectore tanquam ex centro per omnes corporis plagas propagari atque diffundi ſentiunt.

Sanguini admixtus aër vitalis colore purpureo eum tingit, ſcilicet hoc accidit ſanguini e vena miſſo, dum in vaſe aëri dephlogiſticato exponitur, quinimo HEWSONII pericula docent, aërem vitalem in vena corporis viuentis ligata ſanguini admixtum colore coccineo eum tingere. Eiusdemque eximii viri obſeruata euincunt ſanguinem ad pulmonem reducem ab illo quem cor a pulmonibus modo receperit, coloris pelluciditate longe ſuperari.

§. III.

§. III.

Aër fixus et mephiticus.

Sed quum in aëre non renouato quinimo puriſſimo ſaepius ſpirauimus, is ad omnem vlteriorem reſpirationem et flammam alendam ſenſim ſenſimque ineptus euadit, aquam calcis turbat, ſalibus efferueſcendi copiam impertit, et tincturam laccae rubro colore tingit, easque dotes ſanguis puro aëri impertit cum illi hic ſupernatat, coloremque fuſcum in floridum mutat.

Hi quidem effectus acido aëreo, ſeu vti dicitur fixo adſcribuntur, quo ſublato reliquum eſt mephiticus aër, qui cum atmoſphaerico, quo multo leuior eſt connubium facile ſubit, cum aqua nullum, nulloque ſe prodit ſapore, tincturam laccae non immutat, aquam calcis non turbat, omnique vt diximus,

mus,

mus, reſpirationi et flammae inimicus, plantarum alimentum et animantium peſtis.

§. IV.

Phaenomenorum ratio.

Phaenomenorum rationem variam chemici reddunt. Qui periculis ſibi edocti videntur phlogiſton pulmones exſpirare inflammabilcm materiam, id aërem atmoſphaericum ſaturare dicunt, quod impedit, quo minus id quod exſpiretur ab aëre atmoſphaerico, (ſeu illius particula pura) vltra recipi poſſit. Aëris denique corruptionis cauſam abſoluere ſtatuunt alcali volatile putridum e pulmone excretum cauſticum, quod ſuffocationem minitat animanti anteaquam aërem purum το plogiſton ſaturauerit, atque dum flammam ille adhuc alere valet.

Aliam alii de phlogiſto ſententiam pronunciant. Sunt qui cum BECHERO terram inflammabilem a STAHLIO ſubtilius adornatam cum MAQVERO materiam lucis, cum Volta et Scopoli materiam caloris ſixatam ligatam et acido aëreo nuptam aut denique cum Celeb. GREENio materiam vnitam lucis et caloris eſſe putant. Alii naturam eius ſui generis eſſe e corporibus euolutam cum aëre puro connubium ſubire cum eoque coniunctum calorem conſtituere. Hac ratione exortum calorem ſenſim ſenſimque phlogiſton e corporibus euoluere liberare, et ſic quidem calorem, ignem, flammam, lucem procreari, acidum aëreum e corpore caloris vi eductum eſſe autumant.

Proxime ab illa diſtat quam CRAWFORD vir clariſſimus de phlogiſto ſibi formauit ideam ſingularem, quam vero

quum illi imprimis nituntur argumenta qnae ad puri aëris et vitalis noxium effectum euincendum a LICHTENBRGIO illustri viro prolata sunt, fusius exponere intereſt.

§. V.

Theoria CRAWFORDIANA.

Omni cuique corpori certam materiae caloris aut ignis copiam ineſſe ſtatuit, pro ratione corporum diuerſam. Hanc veram corporis particulam aſt quieſcentem nec thermometro definiendam calorem abſolutum vocat. Quae ſua cuiuscunque indiuidui eſt quantitatis et qualitatis differentia haec caloris recipiendi corporum capacitatem metitur. Eamque addito phlogiſto minui eoque ablato augeri periculis ſibi edoctus videtur.

Phlo-

Phlogiſton ergo et caloris materiam contraria elementa autumantur, ſic vt cum illud corpora attrahunt, calor expellatur, et dum calor in corpore agitat, vis phlogiſton attrahendi diminuatur. Affinitate chemica igitur calor animalis nititur. Scilicet aër, quem pulmo ſpirat, caloris materiam continet eiusque dum purus eſt copiam maiorem, at ex omnibus corporis partibus redux ſanguis phlogiſton imbibit. Cum autem aëris ad phlogiſton affinitas calore pulmonum aucta ſuperet affinitatem ſanguinis ad phlogiſton, hoc a ſanguine mittitur cum aëre ſeſe coniungit et dum illi admiſcetur hunc cogit materiam caloris abſoluti mittere. Sanguis autem dum phlogiſton mittit, maiorem attrahendae materiae caloris capacitatem adipiſcitur, eamque qui ex aëre ſeparatur caloris materiam omnino attrahit. Quum deni-

que per vaſa corporis fertur, vbique denuo phlogiſton haurit et accipit eodemque gradu caloris materiam continendi capacitatem amittit et quantum phlogiſti receperit, tantum modo materiae caloris iterum mittit, quae partim in ſenſibilem mobilemque calorem mutatur, qui fons eſt caloris animalis princeps.

§. VI.

Antiphlogiſtici.

At omne phlogiſton tanquam fictum reiicit vir immortalis memoriae LAVOISIER quem lugent illuſtris patria exterique non prorſus ab humanitate alieni. Verum enim vero ſingularem ſibi ſuamque vindicat combuſtionis et reſpirationis rationem. Scilicet dum comburuntur corpora, quorum vis attrahens maior eſt ad aëris vitalis baſin prin-

cipium

cipium oxygenium ac huius ad materiam caloris in aëre vitali cum basi oxygenio vniti, id oxygenium vrentia attrahunt corpora et antea ligatam liberant materiam caloris. Et cum spiramus aërem, id oxygenium materiae caloris nuptum fluidum elasticum cum eo qui ex sanguine secernitur carbonio et hydrogenio acidum aëreum (Gas carbonis) cum hydrogenio coniunctum aquam producere, aërem vitalem decomponi, partemque materiae caloris specifici cum sanguine comunicari, qui dum carbonium et hydrogenium mittit, illam auide haurit. At dum ab arteriis ad vlteriorem circuitum sanguis promouetur, vbique maiore minoriue quantitate carbonium recipit et hydrogenium, siquidem magis minusue ad putredinem corpus pronum est, atque dum hoc agitur materiam caloris quam in pulmone sanguis hau-

sit

ſit ſenſim mittit eamque ad vicinos fluidorum riuulos diffundit. Mutatis ſic corporum formis aer fixus, halitus aquoſus et mephiticus aer exſpirantur. Aerem fixum praeterea ex intima aeris vitalis cum ſanguine vnione productum per vaſa corporis circumagi atque antiſeptici inſtar agere, dein per cutis poros excerni dicunt; oxygenium autem ſanguini vim impertire qua cor ad motus incitat vitales.

§. VII.

Viri illustris LICHTENBERGII *opinio.*

Has quidem aëris dotes tum phaenomenorum rationem praeſertim eam quam celeberrimus CRAWFORD expoſuerat cum eo quo pollet ingenii acumine conſideraſſet vir illuſtris et phyſicorum princeps, praeclare

omnino

omnino monuit*) calorem vehementem exortum iri dum ſpiramus ſiquidem caloris materia in corpore non ſubito diffiundere-tur. Praeterea quum in febre putrida ob ſanguinis putredinoſam indolem facilius ac in ſano corpore phlogiſton ſecernatur, calorem hanc ob cauſſam adeo augeri. Fieri ergo poſſe vt male vertatur, id quod nos bene vertere huc vsque putauerimus, quibus aerem quem eiusmodi aegrotantes ſpirant, aeris dephlogiſticati beneficio corrigere placuiſſet. Ad haec cenſor reſpondidit: hac ratione minime totum conclaue aere dephlogiſticato repleri. Tum ille: id duntaxat ſe monuiſſe, eſſe forſan huius correctionis

*) Vid. ERXLEB. *Anfang·gründe der Chemie.* Edit. LICHTENB. III et IV.

onis modum, quos vltra citraque nequeat conſiſtere rectum. Nec dum res ita ſibi videretur ſe erraſſe, confirmatum eſſe literis a Profeſſore GROSGHKE ab Dr. BRANDIS qui tum Goettingae verſabatur ſcriptis:

d. d. Berol. XI. Maii MDCCXCVI his verbis

In febre putrida tunc temporis Berolini epidemica aegros quinque aut plures in anguſto ſpatio coaceruatos ſic vt aer renouari prorſus non potuiſſet medico HERZIO facilius curatos eſſe iis, qui ampla habitauerint conclauia, idemque Dri. BRANDIS obſeruatum eſſe. Huius ergo rei maximum probe eſſe obſeruandum, cum praeſertim ex hac illaque obſeruatione eluceat, in ampliori conclaue aeris puri modum iam poſſe ſuperari.

Aerem vitalem ergo purumque ad ſummum aegrotantium et quidem febre putrida

decum-

decumbentium perniciem adhiberi et quoniam calorem ſenſibilem qui in febre putrida ſummus ſit, augeat, et quoniam putredini faueat.

§. VIII.

Corollarium.

Haec illuſtris viri opinio, (ſingulari enim modeſtia addit, ſe pro nihili alio ſententiam ſuam venditare) tanta quidem argumentorum energia vincit, vt nihil ſupereſſe videatur quod iure meritoque illi opponere liceat. At aegrotis febre putrida laborantibus non tantum vitalis aurae vſum ne prodeſſe quidem ſed etiam pernicioſum eſſe, eiusque modum vel maxime obſeruari debere, quinimo illius modum contraria ratione ſuperari poſſe, ſcilicet aërem phlogiſticatum mephiticum impurum eiusmodi aegro-

tantibus

tantibus ſalutare eſſe, ſicuti affirmant citatae literae, id quidem concedere vtcunque prohibent hucusque et morbi ratio et medicorum principum obſeruata omni fide digniſſima.

Hi autem cum in omni putredinoſo morbo praeſtantius nihil atque ſuperius norint commendarintque ac aëris puri vſum, tum aura vitali cognita hoc aëris corrupti corrigendi probatiſſimum remedium aegrotisque ſaluberrimum depraedicarint, multisque ac fere innumeris obſeruatis et aurae vitalis et puri aëris vſum confirmarint, res maximi momenti nobis eſſe videtur vlterius indagare et quodnam ex aëris puri vſu in morbo putrido damnum exſurgat, quis ſit eius ſalubritatis ratio, quam methodum ſequuti ſint, qui feliciſſime morbum debellarunt, et quaenam

nam ſint denique quibus omnis omnino fides habenda ſit obſeruatis atque periculis.

§. IX.

Febris putridae indoles.

In febre vere putrida qualis eſt ſynochus putris continens ſanguinea et ſolidas et fluidas corporis animati partes ita degenerari, vt ſtatus putredini affinis ſit, ex morbi ſymptomatibus cum probatiſſimis rei medicae ſcriptoribus colligere licet.*)

San-

*) GRANT *Beobachtungen über die Natur und Heilung der Fieber. a. d. Engl.* Leipzig 1775.

STOLII Aphoriſmi de cognoſcendis et curand. febr. Vindob. 1786,

SELLII rudimenta pyretolog. method. Ed. III. Berol. 1789.

Sanguis aegrotantium e vena missi aut haemorhagiis excreti, color, crusta mucosa, plumbea, viridis, putridaeque carni similis, ipsae haemorrhagiae, vibices, petechiae, excrementorum, lotii, sudoris foetor, halitus cadauerosus, dein locorum cubatione pressorum facilis gangraenescentia affinitatem quandam putrefactionis denati inter et viventis atque morbosi corporis statum demonstrant.

Et aër in quo corpora putrescunt, acido aëreo ex illis euoluto neque non aëre inflammabili impletur; et quod ab aegrotis febre putrida laborantibus exspiratur, citius aërem corrumpit et phlogisto saturat, id quod impedit, quo minus facile spiritum ducere et flammam alere valeat, et nisi aura pura admissa is aër corrigi nequit.

Dum

Dum corpora putrefcunt, calorem quinimo lucem obferuari notum eft; Atfummus ille in febribus putridis calor fentitur, qui ad CXV et vltra Thermometri FAHRENHEITII gradus afcendit humorum vitii effectus.

Anne igitur eadem phaenomenorum ratio ftatuenda fit in febre putrida et vera putrefactione? Scilicet vim quo mutua affinitate partes fe inuicem attrahunt, immutari dum mediante aëre refpirabili et vi caloris phlogifton et acidum aëreum abunde feparantur, eaque immutata partium mixtione caloris materia et volatiles partes vinculis foluuntur liberantur atque nouas fortiuntur formas. An eadem conditio, puta calidi aeris humiditas et vitalis aer atque purus in animantibus vita praeditis humorum atque folidorum degenerationem quam putredini affinem

affinem autumamus, aeque promonet ficuti in mortuo corpore putredinem?

Hoc quidem artis chemicae fubfidio nituntur qui aerem purum febre putrida decumbentibus perniciofum effe velint; affirmantque eius acceffu putredinem promoveri, calorem autem fenfibilem augeri, qui iam fumus fit in eo humorum ftatu quam putredini aequiparant.

Vtrumque autem negari cogimur, fiquidem eam, quae viuum inter et mortuum corpus differentia intercedit curate penfitavimus. Neque eadem remedia viuum aeque ac mortuum animal contra putredinem defendunt. Nec quae cadaueris vlteriorem diffolutionem atque corruptionem promovent corporis viui degenerationem adiuuant.

Hu-

Humorum autem degenerationem et corruptionem putredini affinem effectum esse debilitatae virium energiae anne artis peritum docet obseruatio qua in morbi augmento vel potius fine at nunquam vel raro saltem in principio putridam illam degenerationem contingere constat, tum omnia quae putredinosam humorum corruptionem producant, vim vitae eneruare, stupefacere, intercipere, deinde plurima quae in febre putrida praesertim contagiosa symptomata occurrunt, eiusmodi esse quae sensorium neruosque grauiter affici luculenter probant, puta; temulentiam, stuporem, tendinum subsultus, decubitum neglectum, mentis absentiam, dedolationem, lassitudinem, sincopen, tremorem, aspectum stupidum, conuulsionem, delirium, verbo internorum et externorum sensuum abolitionem. Deni-

que

que medentium auxilium omne tulit punctum, cum quae intercepta eſt aut proſtata vis vitae eam reſtituat, excitat, corroborat, aut dum remouet, quae impediunt, quominus libere agere poſſit. *)

§. X.

Aeris puri damnum negat, ſalubritatis rationem exponit.

At illa quae deſiderantur omni remedio ſuperior efficit aër purus. Tantum ergo abeſt vt in viuo corpore putredinem aleat vt potius

*) SCHAEFFERS *Verſuche aus der theoret. Arzneikunde.* Nürnb. 1782.

GALENS *Fieberlehre von* KURT SPRENGEL, II. B. Breslau u. Leipzig 1788.

HUFLAND *Bemerkungen über die nat. u. geimpften Blattern.* Edit. II. Leipzig 1793.

potius omne animal quod vita donatum eſt ab ea defendat.

Adiuuat naturae motus ſalutares medicatrices aër purus in omni excretionis negotio ad morbum ſuperandum neceſſario, recipit eam quae perpetuo exſudat liquidi perſpirabilis copiam excrementorum, lotii, putridaque omnia, quae exhalantur atque excernuntur, qui niſi renouatur aër nauſeoſis foetidis atque noxiis effluuiis ea quae optimo conſilio natura excreuit denuo impletur, tum vltra aegre recipere valet quae dum corpori inſunt aliena atque integritati corporis inimica remouere natura nititur. Cauet denique purus aër, ne varia inquinamenta per reſorbentium vaſorum oſcula denuo corpus ingrediantur, humoribus iterum admiſceantur principio vitali infeſta. Tandem purus aër qui idem eſt elaſticus, cum

ſpiratur et corporis interiora penetrat nec non dum omnem eius ſuperficiem externam ambit premitque viribus optime proſpicit easque iam labefactas recreat, ſolidorum robur tuetur, humorum temperiem atque circuitum conſeruat.

Neque ex hypotheſi chemica iis aſſentire cogimur qui eam quae in febre putrida excedit caloris ſenſibilis copiam aëris puri acceſſu augeri atque ad aegrotantium perniciem conferre autumant.

Calorem ad attactum mordacem ſignum febris putridae pathognomicum optimis rei medicae autoribus habetur. Dum ergo phlogiſton alii, alii carbonium copioſe ſeparari ſtatuunt maioremque caloris ſenſibilis copiam ſanguinem mittere ac quam in abſolutum vertere aut diffundere poſſit, eam-

que

que affatim pulmonem haurire ex aura vitali aut aëre puro, dum phlogiston copiose exspirat.

At hic iterum meminisse iuuat non modo de analysi chemica rem agi sed de corpore humano animato, et vitae vim esse sine qua nulla respiratio nec sanguinis circuitus peragi sine qua nulla nec analysis nec synthesis fieri possit.

Verum autem cum febrilis calor ille praeternaturalis corruptionis putridae index effectus sit vis vitae laesae deiectae atque prostratae id omnino praestantissimum remedium haberi debet vt supra modum auctus calor imminuatur atque inhibeatur, id inquam quod vires alit, excitat confortatque, aut dum stimulum nociuum aufert neruis inimicum, aut his eisdem robur addit.

Omnibus autem palmam praeripere aërem purum et ea quae de eius efficacia supra adduximus et quae a praestantissimis omnis aeui artis salutaris cultoribus obseruata sunt, nisi egregie fallimur, satis superque probant.

Sed qui degenerationem de qua diximus putredini affinem ex vno eodemque fonte nobiscum deducunt, saltem in febris putridae augmento aëris vitalis purique noxam stimulo tribuunt, quo fiat, vt vires siquidem iam prostratae sint eodem gradu quo incitentur breui postea remittant. Aërem ergo purum instar aliorum excitantium remediorum agere atque dum vim vitalem excitat intenditque eam debilitare adeoque putredini fauere aiunt. Arridet omnino haec singularis rei explicatio. At quum propriis

prius eam intuamur, tantum eſt quod ei repugnat, quantum ingenioſa placet *).

Quis autem eſt quaeſo medentium qui vbi agitur de ſubitanea atque valida vis vitae reſuscitatione, quis eſt, quaeſo, qui vnquam abhorreat excitantia, neruina, vinum, veſicantia ſuo quaeque loco rite adhibenda, ideo quoniam periculum ſit ne vires quae intenduntur breui poſtea remittant, proſternantur. Quid quod in vltimo febris putridae ſtadio illa quidem iure meritoque commendantur ac niſi male vſurpatae ſunt languentem atque torpidam vim vitae adeo erigunt et incitant vt quae proprio marte iu-

dicare

*) Vid. HECKERS Archiv der allgem. Heilkunde T. I.

dicare morbum non valeat vis medicatrix inſita adiuta arte opus arduum perficiat.

Adeſt nonunquam tanta virium proſtratio inquit illustr. SELLE vt validiſſimis excitantibus opus ſit *). Nec minime nos fugit non vnam eſſe eandemque febrium quae putridae dicuntur conditionem, nec vnam eandemque plane ſibi vindicare methodum. Plures ſanari easque remittentes purgatione inteſtinalis tubi ſoluentibus, euacuantibus contra autem calefacientibus ſtimulantibus et alexipharmacis vt dicunt, multum peccari. Sed vbi tanta virium deiectio nondum acceſſit, quamuis nec veſicantia nec alexipharmaca prodeſſe putes, iisdem aegrotantibus nociuum eſſe purum aërem defendere nequis

*) v. Rudimenta pyretologiae.

nequis, nisi eam cum ceteris excitantibus (at male quidem) confundis. Neque vero dum ab aegro spiratur dephlogisticati instar tantam caloris copiam suppeditat, quae ad vehementes motus vires vitales incitat, nec in ulla febris putridae conditione quidquam obstat, cur aditum illi non denegas.

Quid, quod eundem clariss. autorem, quem auram vitalem aliorum instar excitantium accusasse supra adduximus, alio loco contrarium prorsus affirmare, nimirum aërem purissimum vim vitae vere augere nec, sicuti aliorum remediorum effectus esse videantur, modo incitare, accepimus *).

Neque

*) v. HECKERI Therapia general.

Neque vero propria tantum vi insita corporis animique vires reficit atque sustentat, sed etiam, si quae sanitati inimica natura sola aut arte adiuta soluere atque excernere nititur, ea recipit atque remouet. Tantum igitur abest vt inimico et vehementi stimulo aër purus noceat, quin potius, quae neruos offendunt et laedunt, hauriat resorbeatque.

§. XI.

Authorum Testimonia

Omnes itaque et ingenio et doctrina et artis vsu felici insignes viri et sana ratione et genuina suffulti experientia docuerunt, maximum esse in febre putrida aegrotantium lenimen, auxilium atque remedium vere antisepticum, munditiem cubilis, vestium

aerem

aëremque purum et faepius renouatum, contra autem originem debere morbum putridum aëri inerti, concluso animantium effluuiis contaminato nec renouato conclavium, nosocomiorum, ergastulorum, nauium, morbumque per se haud contagiosum aëre corrupto facile cum aliis communicari, omniaque plurimum frustra remedia adhiberi nisi quomodocunque fiat aër impurus corrigatur. Recentiorum autem chemicorum doctrina innotuit, neque suffitu neque alia unquam cognita ratione aërem inclusum impurum phlogisticatum vere corrigi, nisi aut libero atmosphaerico aditus aperiatur, cui maior inest particulae copia quae facile spirari atque corporum effluuia recipere possit, aut nisi admisceatur illi aura vitalis quam arte parari cum celeberr. PRISTLEY docuisset, ad aërem corruptum depurandum hoc

chemico

chemico inuento vſi ſunt. Quem autem fugit, quanta adhuc difficultate prematur hic vſus! Multum igitur abeſt, vt abuſum metuamus, quin potius ſufficienti copia eum haud facile parari poſſe doleamus.

Noli autem putare, nos aërem puriſſimum quem dephlogiſticatum dicunt, tantum laudare velle, vt ab aegroto purus ſine noxa ſpirari poſſit, id quod ne ſano quidem et integerrimo commendaremus periculis et obſeruationibus educti vitalem auram continuo ſpiratam et vehementes motus excitare viresque nimis intendere, vitamque citius conſumere.

Id modo vrgere liceat, vt ſi qualis eſt atmoſphaericus eadem ratione impuro aëri admiſceatur aura vitalis, neque caloris ſenſibilis

ſibilis copia neque ſtimulo offendere neque putredini faueri poſſit.

Sed quantum aer purus valeat in omni morbo putrido et continente et remittente ſi vllus eſt qui dubitat, eum adire velimus et veterum monumenta et recentiorum quae nullus adhuc deleuit delebitque nunquam dies. Conſulat quae ſidera lucent ſicut inter ignes luna minores Angliae ornamentum et Batauorum decus. Edoceatur a viris qui perſpicacia, atque ſumma artis peritia inclaruere, e quorum numero ob ſpatii anguſtiam laudaſſe ſufficiat viros illuſtres FOTHERGILL, FRANK, GRANT, HUFLAND, HVXHAM, PRINGLE, SARCONE, STOERK, STOLL, TISSOT, VNZER, ceteros. Aut enim horum obſeruata aut nulla ſunt fide digna.

§. XII.

Fallacia caussae non caussae.

Contrarium euincere atque exemplis confirmare videntur supra citatae literae quae in aere phlogisticato impuro incluso, inerti facilius sanitatem recuperasse docent qui febre putrida decubuerunt aegrotantes. Haec si quidem omnis aeui obseruatis omnibusque nostris de aeris indole ideis repugnant, qui factum sit, alio modo explicare veniam petimus damusque vicissim.

At vero nos falli minime nobis videmur dum suspicamur, fallaciam esse caussae non caussae. Cum itaque ad phaenomena curatius attendimus, meminisse iuuat hac in re sicuti vbique haud parum facere quam alteram naturam recte dixeris consuetudinem. Sicuti enim qui non adsuetus est vino, dum

sanas

ſanus integerque vixit, aut nullam aut minorem copiam fert aegrotus, perinde qui aerem impurum obnubilatum phlogiſticatum anguſti ſpatii atque concluſi ſaepiſſime ſpirauit antea ſanus, is cum in morbum incidit, minus ab illo offenditur ac ille qui ampliſſimo conclaui puriſſimum et renouatum nunquam non hauſit. Quot quantaque demum cauſſae concurrunt cur tantum non ſemper facilius morbum ſuperauerint, qui purum aerem indigerunt!

Contigit eadem ratione qua ſaepe ſaepius ſanitatem recuperant, qui omni re indigent, qua alii abundarunt qui orcum inviſere, puta conclauia aere puro impleta, vinum, medicos et medicamenta, commoda, curam, opes.

Cui haec non contigerint medico forſan occucurreris nullo. At vero in hac rerum condi-

tione

tione nec aerem acufes nec vinum, nec medicum nec medicamenta, nec comoda neque adftantium curam.

Noli autem obliuifci quid valeat natura cui fua ineft profecto virtus peruigil, qua vitae et fanitatis fui corporis conferuationi perpetuo ftudens his neceffaria procurat, nocitura propellit *).

Sed defiit effe morborum medicatrix in quibus corrupta eft vitio, luxuria, inertia.

---

*). v. GAVBII inftit. patholog. medic. Lipf. 1771. p. XX.